



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tizszer egy  
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

## Andreas Fáy.

Viri, qui principio prioris saeculi rebus publicis Hungariae renovandis operam dabant, cum sensibus cogitationibusque scriptorum eiusdem aetatis artissime erant coniuncti. Stephanus Széchenyi v. g. saepe suum patriae amorem a poëtis confirmatum esse confessus est, a quibus se evocatum<sup>1</sup> excitatumque<sup>2</sup> esse ad magna sua officia nunquam negavit. At hic multo plus iisdem pro acceptis reddidit. Ex iis autem, qui huius magni viri et magistri et discipuli fuerunt, meritissima fama Andreas Fáy fruitur, qui parvis suis fabellis animum Stephani Széchenyi permovit et in vicem ipse operibus huius ad fabulam suam Romanensem<sup>3</sup> scribendam inductus est. Fáy in fabula Romanensi, quae «Bélteky-ház» inscribitur, cogitationes illius maximi Hungari in populum divulgavit.<sup>4</sup>

Quae fabula Romanensis maxime memorabilis lectuque dignissima anno 1832 in



publicum prodit, nunc igitur annus centesimus est, ex quo eam conscripsit. Lectores eius temporis maxima cum voluptate acceperunt hoc opus, quamquam auctor illa litterarum aetate, quae «romantica» nominatur, artibus, quibus tunc poëtae utebantur, nullis animos<sup>5</sup> lectorum sibi conciliare<sup>6</sup> conatus est, neque enim in illa fabula casus mirabiles, neque facta humanas vires superantia inveniri possunt. Sed pulcherrime auctor mores hominum vitamque cotidianam descripsit, hilaritate vero sermonis animos legentium oblectavit.

Auctor patri Bélteky nec domum, nec patriam curanti, sed semper comisationes<sup>7</sup> oblectamenta<sup>8</sup> quae<sup>9</sup> quaerenti<sup>9</sup> opponit filium, optime eruditum a matre, qui non poculis vino plenis, sed libris, itineribus, artibus sermonibusque virorum doctorum delicia-

1 felhív 2 ösztönöz 3 regény 4 elterjeszt 5 vonzalom 6 megnyer 7 tobzódás 8 gyönyör 9 hajhász.

tur.<sup>10</sup> Diversae duorum virorum vitae quid sequantur quidque vitent Hungari, excellentissime demonstrant.

Praeter hunc iuvenem Bélteky alios quoque invenimus in hoc libro viros eruditos, qui rusticos rationes, quibus agricultura melior reddatur, docent, scholas instituunt semperque meditantur, quibus modis patriae quam maxime prosint. Itaque Fáy Hungaros non modo delectare, sed multo magis docere eos summa vi studuisse videntur. Quod studium multis fabulae innexis<sup>11</sup> cogitationibus sententiisque confirmatur, quarum nonnulla haec sunt exempla: «Qui aliorum laudat humanitatem clementiamque,<sup>12</sup> dignus est ipse, qui laudetur». «Qui arte non delectatur, beate se vivere autumat,<sup>13</sup> si forte vacet infortunio.»<sup>14</sup> Item: «Amor patriae atque honor, quo scilicet exteri<sup>15</sup> viri, meritis suis graves afficiuntur, non reputant<sup>16</sup> inter se». Et: «Unam futuri temporis

horam nolim vel annis permutare praeteritis» etc.


Sic Andreas Fáy et tota fabula et cogitationibus narrationi intextis<sup>16</sup> Hungaros, ut futura curent vitamque et suam et patriae quam pulcherrimam reddere nitantur, semper hortatur. Exemplum eius secuti sunt maximi nostri fabularum Romanensium scriptores, aetates suas describentes, inter quos maxime horum excellent nomina: Jókai, Vas Gereben, Eötvös.

Hoc anno centenariio animo grato huius viri reminiscamur, qui prima sua fabula Romanensi Hungarice scripta ante hos centum annos nos donavit aliisque scriptoribus, qui auctorem atque praeseminantem<sup>17</sup> licet, superaverint, tamen meritis non illo maiores erant, iter expeditiv.<sup>18</sup>

(Zalaegerszeg.)

(S.)

<sup>10</sup> kedvét leli <sup>11</sup> beleszö <sup>12</sup> emberi érzés, nyájasság  
<sup>13</sup> vél <sup>14</sup> szerencsétlenség, baj <sup>15</sup> külföldi <sup>16</sup> ellentétes <sup>17</sup> alapvető <sup>18</sup> előkészít.



## LECTORIBUS MINIMIS.

### «Beneficium» lupi.

Lupus aetate<sup>1</sup> confectus<sup>1</sup> cum mortem appropinquare sentiret, totam vitam cum animo suo reputabat.<sup>2</sup> «Sine dubio» ait secum, «multa et immania scelera commisi, sed certe multi sunt, qui etiam plura ac maiora patrarint<sup>3</sup> mala, quam ego».

Tum malam conscientiam<sup>4</sup> suam mitigaturus<sup>5</sup> summis ingenii viribus facta sua rependebat,<sup>6</sup> si forte inveniret aliquod beneficium, quod sibi loco meriti<sup>7</sup> ascribi<sup>8</sup> posset. Sed frustra vires mentis intendebat.<sup>9</sup>

Demum residentem<sup>10</sup> ore exclamavit: «En beneficium grande ac pretiosum, quod in gruem<sup>11</sup> olim me contulisse nunc tandem gaudeo. Quae cum colli longitudinem gulae meae credidisset, ut os, quod devoravi<sup>12</sup> inde extraheret oblataque<sup>13</sup> mihi esset occasio, ut collum eius demorderem,<sup>14</sup> tamen ei nul-

lam imposui<sup>15</sup> iniuriam,<sup>15</sup> immo caput ex ore meo incolume auferre sivi».

### Discipulus gloriosus.<sup>16</sup>

Parentes ruri habitantes filium erudientum in urbem miserunt. Die festo discipulus domum rediit. Parentes gaudio<sup>17</sup> permoti<sup>17</sup> cenam magnificentissimam paraverunt. Etiam duae columbae appositae sunt...

Tum discipulus ad parentes: «Ego vobis statim demonstrabo hic non duas, sed tres columbas esse. Haec (alteram columbam digito monstrans) est una columba; hae (ambas columbas simul monstrans) sunt duae columbae; una columba et duae columbae sunt tres columbae, ergo hic tres columbae sunt».

Cui pater sereno<sup>18</sup> vultu:<sup>18</sup> «Ita est. Nos quoque tres sumus. Prima columba datur matri, secunda mihi, tertia — pro argumentatione tua sollerti<sup>19</sup> — tuum erit praemium».

Alexius Czuppon.

<sup>1</sup> elaggott <sup>2</sup> átvizsgál, áttekint <sup>3</sup> elkövet <sup>4</sup> lelkiismeret <sup>5</sup> megnyugtató <sup>6</sup> mérlegel <sup>7</sup> érdeméül <sup>8</sup> számít, betud <sup>9</sup> megfeszít <sup>10</sup> mosolygó <sup>11</sup> daru <sup>12</sup> lenyel <sup>13</sup> alkalmam nyílt arra, hogy <sup>14</sup> leharap <sup>15</sup> jogtalanlanságot elkövet <sup>16</sup> dicsekedő <sup>17</sup> örömmel <sup>18</sup> vidáman <sup>19</sup> ügyes.

## EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

*Antiochus* cum in venatione feram agitans ab amicis et servis aberrasset, in casam pauperum hominum intravit ignotus. Cum cenarent, sermonem de rege iniecit; tum unus e pauperibus: «Rex quidem — inquit — in ceteris rebus bonus et laude dignus est, sed malis amicis utens plurima negligit.» *Antiochus* tacuit. Sed postquam satellites ad casam venerunt et purpuream vestem cum diademate attulerunt, rex: «Certe — inquit — ex quo hanc vestem sumpsi, heri primum veros de me sermones audivi.»

*Plutarchus.*

\*

*Apud Persas* mos et lex erat, ut regi iter facienti omnes munera offerrent: alii boves aut oves, alii frumentum aut vinum, pauperiores lac, caseum, poma. *Persa* quidam, nomine *Sinaetas*, procul a suo tugurio in *Artaxerxem* incidit neque habebat prae manibus, quod ei offerret. Itaque ad proximum flumen cucurrit et aquam utraque manu haustam regi obtulit, fausta bonaque verba dicens. *Artaxerxes*, qui hoc dono maxime delectabatur: «Ego — inquit — hanc aquam libenter accipio et pretiosissimi muneris loco habeo.» Deinde homini misit magnam pecuniae summam cum veste *Persica* et phiala aurea, qua sibi deinceps aquam hauriret.

*Aelianus.*

### Quomodo Christiani veterrimi in imperio Romano vixerint? (3).

Scripsit *Thomas Rados dr. O. S. B.*

Quae cum ita sint, Christianis super ceruice semper ense *Damoclis* pependisse perspicuum est. Ut quidam Christianus capitis condemnaretur, iudici<sup>1</sup> pagano sufficiebat edicere, ut Christianus imagini *Caesaris* ture aut vino supplicaret. Causa damnationis semper reum vere Christianum esse — ut *Tertullianus* dicit: *ipsum nomen Christianum* — fuit. Formaliter igitur — ut hodie aiunt — *laesae maiestatis* condemnatus est

*Christianus*, quod crimen autem modo post delationem<sup>2</sup> comprobatum est<sup>3</sup> eo, quod reus sacrificare noluit. In usu enim erat quoddam institutum<sup>4</sup> *Neronianum*: «*non licet Christianos esse*». Hoc vere extitisse epistula quaedam *Plinii Junioris* quoque verisimile reddit. Interroganti enim *Plinio* *propraetori Ponti* et *Bithyniae*, quomodo Christiani in futuro tractandi essent, *Traianus* respondit: *Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex paenitentia impetret. Sine<sup>5</sup> auctore<sup>5</sup> vero propositi<sup>6</sup> libelli<sup>6</sup> in nullo crimine locum habere debent.* Quae ratio circa duo saecula valebat,<sup>7</sup> quamquam plane imperfecta et secum pugnans, ut s. patres et scriptores ecclesiastici saepissime diserte<sup>8</sup> dicebant. Ergo licentiae arbitrioque praefecti provinciae nihil obstitit.

Itaque Christiani aut indicio aliorum, aut si clariores fuerunt, saepe voluntate vulgi in ius vocati sunt. Praefecti haud semel — ut *Pilatus* — non ex sententia, magis ex timore fecerunt iudicium. Sed fuerunt, qui innocentibus salutem afferre conarentur. Nobiliorum Christianorum servi quoque torquebantur, ut iudex quam plurima «argumenta» conferre posset. Die iudicii Christiani ante tribunal constituebantur, ubi a vulgo saepe increpabantur, immo violabantur. Prope tormenta<sup>9</sup> etiam imago *Caesaris* collocata erat. *Christianus-ne es?* — interrogavit statim iudex rebus personalibus compertis. Abnuenti Christiano sacrificandum erat, aut, ut Christo malediceret, forte postulabatur. Desertor fidei e custodia emissus est, etsi ceterorum criminum Christianis false attributorum<sup>10</sup> forte socius inventus est. In fide perseverantes saepissime acerbissimo longoque cruciatu affecti occisi sunt. Ante ipsam mortem iudex religionem fidelium Christianorum iterum labefactare temptabat, aut falsa humanitate, aut, cum a desertore fidei ceterorum quoque Christianorum ani-

1 feljelentő 2 feljelentés 3 bebizonyul 4 utasítás, rendelkezés 5 névtelen 6 feljelentés 7 érvényben van 8 érthetően, világosan 9 kínzóeszköz, kintpad 10 tulajdonított.



II.

*Sperne mores transmarinos, mille habent officias.<sup>5</sup>  
Cive Romano per orbem nemo vivit rectius:  
Quippe malim unum Catonem, quam trecentos  
Socratas!*

III.

*Tam malum est habere nummos, non habere  
quam malum est.  
Tam malum est audere semper, quam malum  
est semper pudor.<sup>6</sup>  
Tam malum est tacere multum, quam malum  
est multum loqui.  
Nemo<sup>7</sup> non<sup>7</sup> haec vera dicit, nemo non contra  
facit!*


IV.

*Consules fiunt quotannis et novi proconsules:  
Solut aut rex aut poeta non quotannis nascitur.*

V.

*Venerunt aliquando rosae. Proh veris amoeni  
Ingenium!<sup>8</sup> Una dies ostendit spicula<sup>9</sup> florum,  
Altera pyramidas<sup>10</sup> nodo maiore tumentes,  
Tertia iam calathos:<sup>11</sup> totum lux quarta peregit  
Floris opus. Pereunt hodie, nisi mane legantur.*

<sup>5</sup> a. m.: fallaciae, szemfényvesztés, ámitás <sup>6</sup> szemérmes szerénység <sup>7</sup> mindenki <sup>8</sup> lelke <sup>9</sup> tövis  
<sup>10</sup> bimbó <sup>11</sup> a virág csészéje.




**Cumis**, in vetere Campaniae oppido *O. Maiuri* Italus, investigator antiquitatis eruditissimus antrum Sibyllae detexit. Vir doctissimus descriptiones veterum scriptorum secutus primum antrum quoddam quadratae formae invenit, deinde, cum se non verum propriumque locum sacerdotum Apollinis reperisse intellexisset, continuata investigatione angiportum offendit, 120 metra longum, qui in antrum amplissimum praeruptis scopulis fert. Plurima<sup>1</sup> ornamenta saxi antri insculpta sunt, qualia in sepulcris quoque Graecis comparent.

In hoc antro olim teste Vergilio furens illa Apollinis vates Deiphobe sub ima rupe

fata aperiebat frondibusque litteras committebat. Quam cum Aeneas convenisset, precibus oravit, ut oracula redderet, qua ratione futura bella toleraret laboresque evitaret.

**Aemilius Guillaume** artifex statuarum illustrissimus, natione Gallus, qui operibus non solum in patria, sed paene toto orbe terrarum in summam gloriam venit, apud nos certe immortalitatem nominis sui consecutus est statua, quam hortante amico et fautore Hungarorum perillustrissimo: Rothermereo Britanno fecit. Statua Dolorum Hungarorum (La Douleur Hongroise) repraesentat et sub finem mensis Octobris Budapestini est revelata.



**Martinus Szentmiklósi** unus omnium Hungariae iuris consultorum excellentissimus aetatis anno 67 a. d. III. Cal. Nov. diem supremum obiit. Vir ille doctissimus multos annos in regia scientiarum universitate Budapestinensi ius Romanum docuit nomenque eius etiam apud exterarum gentes perclaruit

**Oppidum sepultum.** (3)

Scripsit: Győző Morvay dr.  
In Latinum convertit: Valentinus Fehér.


Cum solarium<sup>1</sup> in pariete tertiam post meridiem, hoc est nonam diei horam ostenderet, tum iam magna erat in domo com meatus.<sup>2</sup> Ostiarius intronmittit convivas, quos Diomedes et Livia excipiunt.

In culina apparat tricliniarcha,<sup>3</sup> ut ordinem epularum cognoscat easque nomenclatori dictet; qui singulas epulas perscribit, ut inter cenam convivas clare admoneat, quis cibis sequatur. Venit scissor,<sup>4</sup> ut pulpamenta<sup>5</sup> ordinet, praegustator,<sup>6</sup> qui coquum moneat, sitne stomachum<sup>7</sup> convivarum coniectura<sup>8</sup> assecutus.

<sup>1</sup> napóra <sup>2</sup> sürgés-forgás <sup>3</sup> asztalnok <sup>4</sup> metélő  
<sup>5</sup> szolga <sup>6</sup> húsételek <sup>7</sup> ételkóstoló <sup>8</sup> ízlés <sup>9</sup> kitalál.

In triclinio quoque complures servi agnantes<sup>9</sup> apponunt patinas, hirnulas, pocula, cyathos.<sup>10</sup> Pocillator<sup>11</sup> vina e cella affert.

Tum in triclinio cena novem personis instructa est. Romano more cenis aut tres aut novem personas interesse oportebat: aut tres, quot deae Gratiae, aut novem, quot Musae erant.



Solarium.

In medio triclinio stabat mensa marmorea aëneis pedibus. Servus tres lectos mensae admovit. In singulis lectis pulvinos singulos et in uno purpureum tegumentum imposuit. Hic servus lectisterniator appellatus est.

Cum haec parata essent, cubicularius dixit cenam esse paratam. Tum convivae crepidis in peristylo depositis accubuerunt.<sup>12</sup>

Erat locus consularis, lecti in eo consulares. Hic accubuerunt Pansa, Siricus, Cornelius Rufus. A sinistra erat lectus medius, huc accubuerunt Diomedes, Livia, Decius. A dextra lectus imus, huc Sallustius, Cornelius, Publius accubuerunt.

Inter cenam nomenclator nomina epularum clamat. Servus patinam ciborum plenam convivae admovet, conviva digitis eximit cibum et in frusto panis ponit. Non est opus furcilla<sup>13</sup> vel cultro, quod cibi secti apponuntur. Cibo sumpto frustum panis sub mensam iacitur et servus recens ministrat. Ostrea,<sup>14</sup> conchylum,<sup>15</sup> limax,<sup>16</sup> ovum apprare<sup>17</sup> hauriuntur. Quia manus contactu ciborum sordidae fiunt, post unumquodque ferculum<sup>18</sup> mappa<sup>19</sup> tergentur.

In domibus nobilissimorum manus pro mappa longis servorum crinibus abstergentur.

In extrema cena convivae certamine gladiatorum oblectantur; dein mimi ludunt et praestigiatos<sup>20</sup> ludibria<sup>21</sup> oculorum<sup>21</sup> ostentant. Musici in peristylo canunt.

Post cenam sequitur vini potatio. Vina maxime e vineis Pompeianis veniebant.<sup>22</sup>

Viliora recentioraque vina plerumque e doiliis<sup>23</sup> inter cenam promebantur. Vina cariorea ac vetustiora in amphoribus<sup>24</sup> servabantur. Vetustas clariorum vinorum a nomine consulis eius anni, quo vindemiata erant,<sup>25</sup> appellata sunt. Cetera vinorum nomina sunt; Vesuvium, Caecubum, Setinum, Falernum, Albanum, Massicum, Calenum, Fundanum, Vaticanum. Maxime vulgare erat Vesuvium, vetustissima Caecubum et Setinum; Vaticanum quoque maxime diligebatur. Iucunda<sup>26</sup> praeterea erat potio aqua, melle, vino mista, quae calda appellabatur.

Vinum e poculis, cyathis argenteis, aureis, aëneis et urceis<sup>27</sup> bibebatur. Inter pocula coronae in capitibus aut cervicibus imponuntur. Ita coronati bibunt; poculum per manus<sup>28</sup> traditur.<sup>28</sup>

Post cenam convivae discedere parant. Dum servi ad pedes eorum in peristylo crepidas astringunt, Pansa non praetermisit,<sup>29</sup> quin adolescentes ad se invitaret. Decius libentissime promisit se venturum.

### 5. Decius in oppidum it.

Tertio post haec die servi ante villam sex asinos in expedito<sup>30</sup> habebant. Adolescentes in tres, in reliquos servi comites inscendunt.

Dies erat serenus.<sup>31</sup> Adolescentes lente vehebantur, ut Decius omnia diligenter aspicere posset.

— Iam apud oppidum sumus! — ait Cornelius, cum ad portam Herculaneam pervenissent.

Ultimum monumentum<sup>32</sup> erat rotundum.<sup>33</sup> Ex quadrata<sup>34</sup> basi<sup>35</sup> manca<sup>36</sup> et rotunda turris surgebat, cuius in muro turres minutae stabant. Monumentum simile erat propugnaculo.<sup>37</sup>

Ante portam erat telonium,<sup>38</sup> ubi mercatores portorium<sup>39</sup> pro mercibus solvebant. Mercimonia<sup>40</sup> ponderibus<sup>41</sup> magnarum trutinorum<sup>42</sup> mormoreis pendebantur. In non-

<sup>9</sup> forgolódik <sup>10</sup> pohár <sup>11</sup> pohárnok <sup>12</sup> asztalhoz ül  
<sup>13</sup> villa <sup>14</sup> osztriga <sup>15</sup> kagyló <sup>16</sup> csiga <sup>17</sup> kanál  
<sup>18</sup> fogás <sup>19</sup> kendő <sup>20</sup> szemfényvesztő <sup>21</sup> bűvészműtárványok  
<sup>22</sup> terem <sup>23</sup> hordó <sup>24</sup> kétfülű, alul hegyes korszó  
<sup>25</sup> szüretel <sup>26</sup> kedves <sup>27</sup> korszó <sup>28</sup> kézről-kézre jár  
<sup>29</sup> elmulaszt <sup>30</sup> készen <sup>31</sup> derült <sup>32</sup> síremlék  
<sup>33</sup> kerek <sup>34</sup> négyszögű <sup>35</sup> alap <sup>36</sup> csonka <sup>37</sup> bástya  
<sup>38</sup> vámház <sup>39</sup> vám <sup>40</sup> portékák <sup>41</sup> súly <sup>42</sup> mérleg.




nullis ponderibus haec inscripta erant: «Eme et habebis». Circa telonium mercatoribus commeantibus<sup>43</sup> stabula<sup>44</sup> et cauponae<sup>45</sup> stabant, ubi currus, equi, canes habebantur, quoque peregrini mercatores devertebantur.<sup>46</sup>

Porta arcūs alta erat. Duobus laterariis<sup>47</sup> transitibus<sup>48</sup> pedites, medio maiore currus in oppidum ibant. In summa porta quadrigae stabant ex marmore. Noctu porta clatris<sup>49</sup> claudebatur.

A dextra et sinistra portae muri porrigebantur, qui tofis<sup>50</sup> magnis et saxis<sup>51</sup> liquefactis<sup>51</sup> aedificati erant. Hoc opus incertum<sup>52</sup> erat lorica<sup>53</sup>.

In oppidum non solum Herculaneā portā, sed aliis etiam pluribus intrabatur: ut quae



Via Pompeiana.

in Vesuvium, Capuam, ad Sarnum, Nolam, Nuceriam, Stabias atque alio spectabant.

Viae materiā satis firmā munitae ex partibus constabant compluribus. Pavimentum optime calcatum rudectis<sup>54</sup> lapillis, hoc est statumine<sup>55</sup> stratum, quod massā<sup>56</sup> glareis<sup>57</sup> et calce<sup>58</sup> mixtā, id est rudere<sup>59</sup> coopertum erat. Super haec nucleus<sup>60</sup> terrā, argillā,<sup>61</sup> cretā, calce condepestus<sup>62</sup> imponebatur. Cum via sic praeparata esset, latis saxis liquefactis constrata est.

Ubi Decius et cognati eius in oppidum venerunt, via in artius<sup>63</sup> coibat.<sup>63</sup> Cum extrinsecus via, tamquam ambulatio,<sup>64</sup> lata esset, intus plateae<sup>65</sup> saepe tam angustae erant, ut eis tantummodo pedites vel qui asinis vehebantur, ūti possent. Semper mos erat in iis locis, ut homines asinis veherentur.

Latissima Pompeis via quinque passus, angustissima novem pedes lata erat.

Adolescentes in via Consolationis forum petebant. Utraque viae parte semitae<sup>66</sup> latis sectisque lapidibus stratae erant. Ab una semita ad alteram lata strata<sup>67</sup> ferebant. Nonnunquam in semita altiores exstabant lapides, ad quos partim asini alligabantur, partim funes velorum<sup>68</sup> supra tabernas expansorum destinabantur.<sup>69</sup>

Plateas vel vias possessores domorum curabant. Quarum pro opulentia<sup>70</sup> viae aut quadratis lapidibus constratae aut ante domos exiliores<sup>71</sup> terra calcata erat. Ante ditiorum aedes marmora<sup>72</sup> aut lithostrota<sup>73</sup> lateribus<sup>74</sup> constructa iacebant.

In plerisque domibus tabernae, in contignationibus<sup>75</sup> podia<sup>76</sup> et fenestrae erant. Supra tabernas tituli<sup>77</sup> legebantur. Supra cauponam<sup>78</sup> lagoena,<sup>79</sup> apud pistorem<sup>80</sup> paniculus<sup>81</sup> vel mola,<sup>82</sup> apud lactarium<sup>83</sup> capra, apud ludibriorum<sup>84</sup> venditores<sup>84</sup> tabula<sup>85</sup> latruncularia<sup>85</sup> parietibus incisa erat.

Adolescentes in via tabernas doliariorum,<sup>86</sup> figulorum,<sup>87</sup> seplasiariorum,<sup>88</sup> venditorum saponis,<sup>89</sup> pigmentariorum,<sup>90</sup> significum,<sup>91</sup> cupedinariorum<sup>92</sup> viderunt. Erat etiam medicina,<sup>93</sup> cuius titulus erat anguis pineam<sup>94</sup> tenens. Ante tabernas emptores vigentibus<sup>95</sup> gestibus<sup>96</sup> agebant.

Circitores<sup>97</sup> corribus<sup>98</sup> mercimonia ferebant; ab his etiam incolae contignationum emebant. Herae merces plerumque in fenestram extrinsecus subducebant.<sup>99</sup>

In bivii vel trivii<sup>100</sup> putei<sup>101</sup> erant. In parvis cippis<sup>102</sup> ex oribus capitum leonino-

43 jövő-menő 44 istálló 45 koresma 46 megszáll  
47 oldal- 48 átjáró 49 rács 50 tufkő 51 lávakő 52 rendezetlen 53 bevakol 54 törmelékes 55 kőalap 56 tőmeg, anyag 57 kavics 58 mész 59 rudus = kötőrmeléből, téglaporból és mészből kevert vakolatszerű anyag 60 belső rész 61 agyag 62 összegyűrt 63 megszükül 64 sétány 65 utca 66 járda 67 kövezet 68 ponyva 69 megköt, megerősít 70 vagyoni helyzet, vagyonosság 71 szegény 72 márványtábla 73 mozaik 74 téglá 75 emelet 76 erkély 77 címer 78 koresma 79 palack 80 pék 81 cipő 82 malom 83 tejárus 84 játékszerárus 85 sakktábla 86 bognár 87 fazekas 88 illatszerész 89 szappanos 90 festékárus 91 szobrász 92 cukrász 93 gyógyszerész 94 fenyőtohoz 95 élénk 96 taglejtés 97 házaló 98 kosár 99 felhúz 100 keresztutak 101 kút 102 kis oszlop.

rum<sup>103</sup> et taurinorum aut aquilarum in alveum<sup>104</sup> quadratum aqua manabat. Nonnulli putei cancellis<sup>105</sup> circumdati erant.

Decius tam multa vidit tantoque studio<sup>106</sup> quaeque<sup>107</sup> pusilla<sup>107</sup> contemplatus<sup>108</sup> est, ut vix in forum se venisse animadverteret.

In unaquaque Romana civitate erat area<sup>109</sup> lata, in qua aedificia maiorum magistratum, templa, arcus, signa<sup>110</sup> stabant. Hoc appellabatur forum. Eo cottidie omnes fere cives veniebant.

Quia Decius iam pridem ad patrem Aquincum litteras scripserat, eo ipso die res in foro visas scribere decrevit.

Postquam in villam Diomedis rediit, statim ad litteras scribendas aggressus est.<sup>111</sup>

<sup>103</sup> oroslán <sup>104</sup> medence <sup>105</sup> korlát <sup>106</sup> érdeklődés  
<sup>107</sup> minden apróság <sup>108</sup> szemlél <sup>109</sup> tér <sup>110</sup> szobor  
<sup>111</sup> hozzáfog.



### Iocosa.

Magister quidam misericordiam exemplo illustraturus, «hoc<sup>1</sup> age<sup>1</sup> dum»,<sup>1</sup> inquit, «Aemili, si quem asinum suum ne male<sup>2</sup> mulcet,<sup>2</sup> prohibeam, quae virtus est haec appellanda?» «Fraternus», inquit Aemilius, «amor».

\*

Puer quidam in publico<sup>3</sup> mulierem, quae farcimen<sup>4</sup> amisit, pone<sup>5</sup> prosequitur.<sup>5</sup> Farcimine sublato succlamavit ei: «Farcimen, quod amiseras, inveni atque frustum<sup>6</sup> inde praemium<sup>7</sup> inventi<sup>7</sup> farciminis<sup>7</sup> iam praemorderam».<sup>8</sup>

\*

Miles Saxonicus vehiculo vapore moto vectus cum aliquis ex Exercitu<sup>9</sup> Salutari,<sup>9</sup> qui vocatur, vehiculum idem conscendisset, «quam ridicula est», inquit, «qua indutus es, vestis militaris! Sub quibus<sup>10</sup> signis<sup>10</sup> meres?»<sup>10</sup> Vir de Exercitu Salutari respondit pia<sup>11</sup> atque<sup>11</sup> augusta<sup>11</sup> voce: «Equidem, amice carissime, in Exercitu Salutari milito atque sum miles<sup>12</sup> caelicola»,<sup>12</sup> «Enimvero misere me tui miseret», inquit miles Saxonicus, «qui tam longum iter ad castra<sup>13</sup> tua habeo».

Carolus Ács.

<sup>1</sup> ide figyelj! <sup>2</sup> jól elveri <sup>3</sup> utcán <sup>4</sup> kolbász  
<sup>5</sup> nyomon kíséri <sup>6</sup> darab <sup>7</sup> a megtaláló jutalma  
<sup>8</sup> leharap <sup>9</sup> üdvhadsereg <sup>10</sup> milyen csapatban  
szolgálász <sup>11</sup> kenetes hangon <sup>12</sup> az ég katonája  
<sup>13</sup> kaszárnya.

## AENIGMATA.

I.

1	9	7	2	11	10	fluvius Thessalus
3	11	5	11	12		hostis est ovium
6	5	11	10			negotium
4	5	10				dea
8	2	1	6	12		futura propago
1—12						paeninsula.

II.

(Ad saltum equulei.)

o	s	n	e	i	
i	u	m	*F	t	d
	c			c	
d	t	o	c	e	i
s	a	n	n	i	

### Solutiones aenigmatum numeri II.

I. Toga, rana, vaco, Tomi, rata, rura, sors. — Tacitus. II. 1. Triton, os, Tritonos; 2. imber, bis, imberbis; 3. genu, alia, genualia; 4. res, pergo, respergo; 5. ad, dictio, addictio; 6. non, genti, nongenti; 7. enim, vero, enimvero; 8. sarra, cum, sarracum. — *Tigranes*.

III.

13	3	2	16
8	10	11	5
12	6	7	9
1	15	14	4

Summa: 34.

**Aenigmata recte dissolverunt:** E. Cziák, Mathias Gombos, Lazarus Löw, Steph. Lukács, El. Nagy, Zita Péterffy, Marianna Renner, Zoltanus Szerankó, Georgia Szilvássy. — Praemium sorte Stephano Lukács obvenit.

### Epistolia Officialia.

*Rud. et Zolt. Kancz. (Savaria.)* Aenigma vestrum in proximo numero prodibit. Mittite alia quoque opuscula! — *J. H. (Salisburgum.)* Gratias pro iis, quae animo benigno misisti. Omnia in edendis sunt posita.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.  
Budapest, I, Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.  
Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedicholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)